

simplici apprehensione, quæ aliquid percipit quidem, sed nihil affirmat vel negat.

Dicitur 3^o *pronuntiantis de duarum idearum convenientiâ aut repugnantia*. — Vel enim mens duas notiones convenire, vel secum pugnare intelligit, vel harum neque convenientiam neque repugnantiam perspicit. In 1^o casu pronuntiat eas inter se convenire; in 2^o pronuntiat eas inter se repugnare; in 3^o nihil pronuntiat, sed a iudicio abstinet. Ergo rectè iudicium a D. Thomâ definitur: « *Actio intellectûs secundum quam componit et dividit, affirmando et negando.* » (*Qq. disp. de Verit., q. 14, de Fide, a. 1, c.*) Scilicet iudicium affirmativum ideas inter se componit, quia conveniunt secum; negativum contrâ dividit, quia inter se pugnant.

194. Quamobrem, ut quis rectè iudicium *formet*, debet 1 *seorsum* considerare elementa ex quibus constat, subjectum scilicet et attributum; 2 ea conferre, ut videat an inter se convenient necne; quibus impletis *conditionibus*, 3 proferet demum iudicium, iudicis instar, qui libratis hinc inde rationibus, sententiam pronuntiat.

195. *Corollarium*. — Hinc sequitur, iudicium, si *materialiter* accipiatur, *complexum et compositum* esse; sin *formaliter*, *unum et simplex*. Etenim materialiter spectatum, ex pluribus elementis coalescit, scilicet ex duabus ideis inter se comparatis; sed formaliter seu essentialiter non consistit nisi in nexu inter duas ideas, seu potius in affirmatione istius nexûs. Porrò nexûs iste, perinde ac mentis affirmatio, est aliquid unum et simplex.

§ II. — De variis iudicii speciebus.

196. Iudicium considerare licet triplici ex parte, videlicet ex parte objecti, ex parte subjecti et ex parte connexionis inter duas notiones comparatas.

I. *Ex parte objecti*, iudicium dividitur 1^o in *verum et falsum*, prout realitati consonat, vel contradicit; 2^o in iudicium *existentiæ* et iudicium *attributionis*, prout affirmat simplici-

ter aliquam rem existere, v. g. : *Deus est*; vel de illâ quamdam qualitatem prædicat, v. g. : *Deus est bonus*.

II. *Ex parte subjecti*, præcipua iudicii divisio est : in iudicium *prudens* et iudicium *temerarium*, prout motiva quibus nititur satis vel non satis explorata fuerunt.

III. *Ex parte connexionis inter notiones comparatas*, iudicium dupliciter dividitur : 1^o in *affirmativum et negativum*; 2^o in *analyticum et syntheticum*.

1. Iudicium dicitur *affirmativum*, quando attributum subjecto convenire asseritur, v. g. : *Deus est bonus*; negativum autem, si asseritur attributum subjecto repugnare, v. g. *Deus non est crudelis*.

2. Iudicia *analytica*, ex græca voce *αναλυσις*, ea sunt in quibus attributum in *ideâ* vel *essentiâ* subjecti continetur; tale est illud iudicium : *Homo est animal rationale*. — At iudicia *synthetica*, ex græcâ voce *συντιθημι*, ea sunt in quibus attributum *addit aliquid notioni vel essentiæ subjecti*; tale est istud iudicium : *Socrates disputat*.

Priora sunt in materiâ *necessariâ* : unde vocantur *a priori*, *absoluta* et *rationalia*; quare, in iis relatio inter subjectum et attributum ratione ipsâ cognosci valet, ex merâ idearum analysi. Posteriora verò sunt in materiâ *contingenti*; unde nominantur *a posteriori*, *hypothetica* et *empirica*; in his igitur, relatio inter subjectum et attributum *experientiâ solâ* potest innotescere.

ARTICULUS II

De iudicio vocabulis expresso, seu de propositione (1).

Dicemus : 1^o de naturâ propositionis in genere; 2^o de naturâ propositionis *indicativæ*; 3^o de illius speciebus; 4^o de variis proprietatibus illius relativis.

(1) Cf. Aristotel., *Perihermeneias*, et S. Thom. in hunc librum.

§ I. — De naturâ propositionis in genere.

197. Judicium, quatenus verbis exterius manifestatum, *propositio*, ut recentes, aut *enunciatio*, ut veteres philosophi appellant, nuncupatur. Itaque enunciatio *est oratio iudicium exprimens*.

198. *Oratio* verò definiri potest : *Complexus vocabulorum sententiam aliquam animi exprimens*. Porrò *perfecta* est, si quam sententiam *completam* exprimat, v. g. : Deus est bonus; *imperfecta* autem, si tantum incompletam, adeo ut mens suspensa relinquatur aliudque ulterius exspectet, v. g. Virtus, quum sit amabilis.

199. *Oratio perfecta* a S. Thomâ meritò *revocatur* ad *quintuplex* genus, nempe ad *enunciativam*; v. g. : Deus est bonus; ad *vocativam*; v. g. : O Deus optime; ad *interrogativam*; v. g. : Quid vobis videtur de hac perdifficili quæstione? ad *imperativam*; v. g. : Operi vestro date operam; ad *deprecativam* vel *optativam*; v. g. : Parce misero; *dubitativa* autem ad *interrogativam* reduci potest; v. g. : Fortassis Galliarum gens quondam florentissima ad pristinam pietatem et gloriam redibit.

200. Porrò inter varias orationes primatum obtinet oratio *indicativa* vel *enunciativa*. Nam ipsa *sola* significat conceptum hominis de rebus et iudicium de iis profert; sola itaque verum aut falsum continet, aliæ autem omnes ab eâ pendent et ad eam referuntur, ut variè *exsequantur* quidquid ipsa conceperit (1). Itaque de illâ solum spectat ad Logicam disserere.

(1) En clarâ D. Thomæ argumentationem : « Quia ratio non solum concipit in seipsâ veritatem rei, sed etiam ad ejus officium pertinet secundum suum conceptum alia dirigere et ordinare; ideo necesse fuit quod sicut per enunciativam orationem significatur ipse mentis conceptus, ita etiam essent aliquæ aliæ orationes significantes ordinem rationis secundum quam alia diriguntur. — Dirigitur autem ex ratione unius hominis alius homo ad tria. Primo quidem ad *attendendum* mente; et ad hoc pertinet *vocativa* oratio; secundo ad *respondendum* voce; et ad hoc pertinet *interrogativa*; tertio ad *exequendum* in opere; et ad hoc pertinet, quantum ad inferiores, oratio *imperativa*, quantum ad superiores, oratio *deprecativa*, ad quam reduci potest oratio *optativa*, quia respectu superio-

§ II. — De naturâ propositionis indicativæ.

201. *Propositio enunciativa est oratio iudicii interpretis, aliquid de aliquo affirmans aut negans*. Tribus notionibus et vocabulis constat; scilicet : 1° *notione* de quâ aliquid prædicatur, et quæ idcirco vocatur *subjectum*; 2° *notione* quæ de subjecto prædicatur, et quæ vocatur *attributum*; 3° *notione* quæ conjungit attributum et subjectum, et quæ proinde *copula* dicitur. *Copula verbum* quoque appellatur, quia in *propositione* fungit munere principali, scilicet munere *formæ*; nam attributum cum subjecto colligat et iudicium perficit. In exemplo sequenti : Deus est sanctus, terminus *Deus* subjecti, terminus *sanctus* attributi, et *copula est* verbi vicem implet.

202. Porrò in *propositione indicativâ*, *copula* vel in verbo *esse* consistit, vel ad illud *reducitur* : v. g. hæc *propositio* : Plato disputat, ad eam *reducitur* : *Plato est disputans*. Et ratio est quia verbo declaratur attributum subjecto convenire aut non convenire sive objecto *inesse* aut non *inesse*; unde ad verbum *esse* *copulam* reduci oportet (1). Quæ cum ita sint, verbum *esse* non immeritò vocatur verbum *primitivum*.

203. Verbum autem aut in tempore *præsenti* esse, aut ad illud *revocari* debet. Etenim in iudicio duo spectanda sunt, scilicet : 1° *connexio* inter duas notiones, et 2° *actus* mentis connexionem istam affirmantis. Porrò *connexio* inter duas notiones, attributum nempe et subjectum, ad tale vel tale tempus necessariò non refertur; quia potest esse vel in præterito, vel in præsenti, vel in futuro. Sed *actus* mentis attributum et subjectum conjungentis vel dividentis, in

ris homo non habet vim motivam, nisi per expressionem sui desiderii. — Quia igitur istæ quatuor orationis species non significant ipsum conceptum intellectus, in quo est verum et falsum, sed quemdam ordinem ad hoc consequentem, inde est quod in nullâ earum invenitur verum vel falsum, sed solum in *enunciativâ*, quæ significat id quod de rebus concipitur. » (In I *Periherm.*, lect. 7^a)

(1) Appositè S. Thomas : « Verbum quodlibet resolvitur in hoc verbum « est et participium; nihil enim differt dicere, homo convalescens est, et « homo convalescit, et sic de aliis. » (In lib. v *Metaph.*, lect. 9).

quolibet iudicio in præsentia efficitur ab intellectu. — *Hinc* si nonnullis in iudiciis verbum *præteriti* vel *futuri* temporis sit, relatio ista veluti modificatio et pars attributi habenda est. E. g. enunciatio illa : Martyres fuerunt fortissimi, ad eam reduci debet : Martyres *sunt* aliqui qui fuerunt fortissimi. Item hæc : Justi remunerabuntur, ad eam reducitur : *Justi sunt* aliqui qui remunerabuntur. Ad rem S. Bonaventura : « Propositio de præterito fundatur super ordinem ejus ad præsens, similiter propositio de futuro. » (In I. *Sent.*, dist. 36, a. 1, q. 4, ad argum.)

204. Tametsi tria sint in enunciatione elementa, subjectum, attributum et verbum, duo tantum *termini* nomen retinent, nempe subjectum et attributum *simul* cum copulâ acceptum. Nam logici non considerant attributum in seipso aut separatim, sed quatenus *inest* vel non *inest* subjecto. Itaque unusidemque terminus attributum et copulam designat, isque *verbum* vocatur. Terminus autem qui subjectum significat, *nomen* appellatur, quia designat substantiam vel qualitatem quamdam substantialiter sumptam; v. g., pulchritudo, bonitas.

De nominis et verbi naturâ, quoniam sunt duæ præcipuæ orationis voces, paulo uberiùs præstat disserere.

205. I. — *Nomen* est vox quæ significat subjectum sive substantiam cui aliquid attribuitur. Pressiùs definitur ab Aristotele : *Vox simplex, aliquid significans ex consensu, sine varietate temporis* (*Hermen.*, l. I, c. 2, § 1).

Dicitur 1° *vox simplex*, quia rem unam, id est subjectum unum, designat.

Dicitur 2° *aliquid significans*, ut distinguatur a termino inani, cui nihil respondet in naturâ.

Dicitur 3° *aliquid significans sine varietate temporis*; non quòd per se tempus excludit, quum sint nomina quæ tempus significant : v. g. *hora, mensis, dies*; sed quòd, ex unâ parte, a notâ temporis abstrahit; et, ex alterâ parte, nomina ipsa quæ tempus significant, illud significant non sub ratione temporis, sed tantum in abstracto, ut rem aliquam.

Dicitur 4° *significans ex consensu*, seu ex liberâ institutione

hominum; nomen enim ex naturâ nullum est, et nominibus iisdem diversæ res, vel etiam res eadem diversis nominibus in variis linguis insigniuntur.

206. II. — Verbum definiri potest : *Vox aliquid significans ex consensu, cum varietate temporis, et cum attributi notâ.*

Dicitur 1° *Vox aliquid significans ex consensu*; in quo convenit cum nomine.

Dicitur 2° *significans cum varietate temporis*; quia proprium est verbo ut aliquam rem significet, prout tempore *mensuratur*, scilicet prout facta est, aut fit, aut fiet in futuro; v. g. nomen *cursum* significat actionem currendi solum in abstracto, non per modum temporis. Contra verbum *currit*, eandem actionem significat prout actu exercitam. — « Præterea, ut ait Sylvester Maurus, etiam in alio sensu verbum significat cum tempore, quia nimirum declinatur per varia tempora, præsens, præteritum et futurum, quod nulli nomini convenit. » (*Summulæ, sive Logica brevis*, c. 30).

Dicitur 3° *vox significans cum attributi notâ*; hinc differt verbum a *participio*, quod quamquam significat cum tempore, tamen poni potest ex parte subjecti perinde ac attributi; v. g. dici potest : Filius sapiens lætificat patrem; et : qui congregat in messe, filius sapiens est. At verbum non nisi ex parte attributi ponitur (1).

§ III. — De variis propositionis indicativæ speciebus.

207. *Generalior* propositionis divisio ex duplici parte sumi-

(1) Ex dictis inferri potest rectam non esse definitionem verbi ab Arnauld et Condillac propositam : *Vox significans affirmationem*. *Affirmatio* enim, cum iudicium præ se ferat, non *verbo* solo constat, sed *nomen* etiam includit.

Nec probamus istam definitionem : *Verbum est vox significans actionem et passionem*. Si enim verbum significat actionem vel passionem in abstracto, jam non secernitur a nomine, quod etiam eam significare potest; v. g. *actio, passio, cursus*... Si autem verbum significat actionem per modum actionis, jam obtinet Aristotelis definitio, quia actio non significari potest per modum actionis, nisi cum tempore significetur.

tur, scilicet ex *materia* seu elementis ex quibus constat, et ex *forma* seu ex modo quo elementa secum adunantur.

Sed ex parte *materiae*, trifariam accipi potest: 1° ex parte attributi; 2° ex parte subjecti; 3° ex parte utriusque simul. Ex parte autem *formae*, triplex etiam inducitur divisio, nempe ex parte *convenientiae* vel *discrepantiae* inter subjectum et attributum, ex parte *modi* quo notatur convenientia vel repugnantia, et ex parte *veritatis* aut *falsitatis* inde consequentis.

I

208. Ex parte *materiae* circa quam versatur attributum, propositio distinguitur in *necessariam*, *contingentem*, *possibilem* et *impossibilem*. Vel enim attributum actu convenit subjecto, vel non; *si prius*, vel *necessario*, utpote ad essentiam ejus pertinens v. g.: Homo est animal; vel *contingenter*; v. g. Paulus est philosophus. — *Si posterius*, vel attributum non repugnat subjecto ac potest ei convenire v. g.: Indoctus fit doctus; vel ei repugnat v. g.: Homo ratione caret. (Cf. S. Th., in lib. I *Periherm.*, lect. 13).

II

209. Ex parte *extensionis subjecti*, propositio dividitur in *universalem*, *singularem*, *particularem* et *indefinitam*.

Quippe subjectum potest esse vel universale, v. g., Omnis homo est animal; vel particulare, v. g., Quidam homines sunt docti; vel singulare, v. g., Aristoteles est philosophus; vel indefinitum, v. g.: Homo est rationalis.

210. Porro propositiones universales et particulares *notâ* quâdam affici solent, quâ earum extensio designetur. Hæc nota pro universali est, *omnis*, *nullus*, prout propositio est universalis affirmans, vel universalis negans v. g.: Omnis homo est animal, Nullus homo est asinus. Pro propositione particulari nota est, *aliquis*, *quidam*, v. g.: Quidam homo est

albus. — Propositio singularis aliquando notatur ipso nomine individui: v. g., Socrates, Plato; aliquando *pronomine*: v. g., *hic* homo; quandoque individuum indicatur tantum collectione proprietatum quæ ipsi soli conveniunt. — Propositio indefinita ex naturâ suâ habet ut nullâ notâ afficiatur.

211. At propositio *universalis* aliquando non *absolutam*, sed *generalem* tantum universalitatem exhibet, si nempe aliquam legem exprimat quæ, ut plurimum, non autem semper effectum suum sortiatur; v. g., *Omnes senes prudentiâ pollent*; *Omnes juvenes mobilitate laborant*.

212. *Indefinita* vero propositio *revocatur* modò ad universalem, modò ad particularem, modò etiam ad singularem, prout rei natura, vel sermonis contextus indicat quæstionem esse de omnibus individuis in aliquo genere comprehensis, vel de quibusdam tantum, vel de uno duntaxat, supra nominato; v. g. hæc propositio: *Corpora sunt gravia*, reducitur ad propositionem universalem.

III

213. Ex parte *attributi simul ac subjecti*, propositio dividitur in *unam* et *multiplicem*, *simplicem* et *complexam*.

1° Propositio *una* ea est quæ *uno subjecto et uno attributo constat*: v. g.: Socrates est philosophus; *vel constat attributo vel subjecto multiplici quidem voce, re autem uno*: v. g.: Animal rationale mortale currit; in hoc enim exemplo subjectum *animal rationale mortale* in unum convertitur, quum terminus mortale in termino animali comprehendatur, ac proinde non nisi unum subjectum existat.

2° Propositio *multiplex* dicitur quæ *aut ex parte subjecti, aut ex parte attributi, aut utrinque duo significat diversa, quæ ad unum revocari nequeunt*: v. g.: Socrates ambulat et philosophatur; Socrates et Plato disputant; Socrates et Plato ambulant et philosophantur.

3° Propositio *simplex* ea est quæ *unum habet subjectum et unum attributum uno expressum vocabulo*: v. g.: Tullius est eloquens.

4^o *Propositio complexa* ea est in quâ *vel* *subjecto*, *vel* *attributo*, *vel* *utrique additur altera notio, vulgò incidens, quæ novam generat propositionem*; v. g. : Homo qui pius est, laudari debet; vel : Homo eruditus et religiosus laudari et coli debet. — Porrò in istiusmodi propositionibus duplex persæpè latet propositio, altera *principalis* et altera *incidens*, quæ scilicet in priorem incidit, ab eâ pendet, eamque vel complet vel determinat. — Si complet solùm, *explicativa* dicitur; v. g. : *Cùm sis mortalis, immortale odium ne foveas*. — Si autem determinat, vocatur *restrictiva*; v. g. : *Homo qui malè in hac vitâ se gesserit, pœnas dabit in alterâ vitâ*. — In priori casu multiplex est propositio, in posteriori una tantùm, licèt videatur multiplex, quia unum significat.

214. *Ratione convenientiæ aut discrepantiæ subjectum inter et attributum*, propositio dividitur in *affirmantem* et *negantem*, in *categoricam* et *hypotheticam*.

Propositio dicitur *affirmans* aut *negans*, prout asserit attributum *subjecto convenire* vel *repugnare*; v. g. hæc propositio : Deus est bonus, *affirmans*; hæc verò : Deus non est injustus, *negans* vocatur. Porrò quatuor maximi momenti canones ad propositiones *affirmantes* et *negantes* pertinent.

1^{us} CANON : *Attributum propositionis affirmantis prædicatur de subjecto secundùm totam suam comprehensionem*. E. g. cùm dicitur : Petrus est homo, dicitur omnes notas ex quibus notio hominis conflatur, Petro *convenire*. Non enim simpliciter et absolutè Petro *convenire* posset notio hominis, si vel unâ careret ex notis quæ hominem constituunt.

2^{us} CANON : *Attributum propositionis affirmantis, vi formæ ipsius, non prædicatur de subjecto secundùm omnem suam extensionem*. Ratio est quòd quum asseritur attributum *subjecto convenire*, asseritur quidem *subjectum unum* ex his esse quibus attributum *convenit*, non autem *solum*, ita ut nulli alii *subjecto competere* queat. E. g. qui dicit *Platonem philosophum esse*, dicit *Platonem unum esse ex philosophis*, non autem omnem et solum *philosophum*. Itaque attributum est *universalius subjecto*.

Dixi vi formæ ipsius; quia quandoque *vi materiæ fieri* po-

test ut attributum cum *subjecto*, et *subjectum* cum *attributo* convertatur : v. g. in istâ propositione : Homo est animal rationale, attributum nulli alteri *subjecto*, præter hominem *convenit*, et dicere etiam licet : Omne animal rationale est homo. — Sed illud est præter naturam *affirmationis*, quæ, ratione sui, non nisi *particulariter ponit attributum*.

3^{us} CANON : *Attributum propositionis negantis sumitur secundùm omnem suam extensionem, sive removetur a subjecto secundùm omnem suam extensionem*.

Etenim in propositione *negativâ* declaratur *subjectum esse quid ab attributo alienum*, ac proinde nullum esse ex his quæ in *extensione attributi comprehenduntur* : v. g. si dicas : Vitium non est amabile, idem est ac si diceres : Vitium nulla est ex rebus amabilibus.

4^{us} CANON : *Attributum propositionis negantis non sumitur secundùm totam suam comprehensionem*.

Ut enim aliud ab alio discrepet, non requiritur nullam notam *utrique esse communem*, at sufficit in alio non esse omnes notas quibus aliud *constituitur*. E. g. ut vera si hæc enunciatio : *Homo non est angelus*, non requiritur hominem cum angelo nihil commune habere, sed satis est non habere omnia attributa ex quibus constat *essentia angeli*.

215. *De propositione categoricâ et propositione hypotheticâ*. — Prior aliquid de aliquo *absolutè prædicat*, posterior autem non asserit nisi *positâ quâdam conditione*; v. g. hæc propositio : Deus est bonus, *categorica*; ista verò : *Si benè egeris, perfrueris gaudio conscientiæ*, *hypothetica* est.

Propositio *hypothetica* sive *conditionalis* duabus partibus constat, quarum prior *antecedens* vocatur, et posterior *consequens*; v. g. in allato exemplo : *si benè egeris*, antecedentis vicem gerit; *perfrueris gaudio conscientiæ*, vicem gerit consequentis, quia ex priori consequitur. — Uti patet, propositio *hypothetica* est reapse *una*, quippe unum hoc sibi vult, esse *nexum quemdam inter aliud et aliud*; iste autem *nexus* est aliquid unum. E. g. qui dicit : *Si dies est, lux est*, non dicit diem et lucem esse, sed tantùm non posse diem supponi, quin lux quoque supponatur.

216. Porro *propositionis hypotheticæ triplex genus distinguitur*, quia triplici modo hypothesis quædam fingi potest; hinc *propositio connexa, conjuncta, et disjuncta.*

1° In *propositione connexâ* antecedens et consequens reliquantur particulâ *si*; v. g. : Si anima est spiritualis, est etiam immortalis. — Cùm istiusmodi *propositio nexum solummodo inter duas notiones innuat*, sequitur ejus veritatem non a veritate partium, sed a veritate *dependentiæ* inter eas resultare. Vera est igitur hæc *propositio connexa* : Si anima est corporea, est quoque mortalis.

2° In *propositione conjunctâ* antecedens et consequens inter se connectuntur particulâ *non*, quæ ipsi præponitur; v. g. : Non movetur simul corpus aliquod et quiescit. — Ad veritatem illius *propositionis* requiritur et sufficit membra ejus se invicem excludere.

3° In *propositione conjunctâ* antecedens et consequens inter se connectuntur particulâ *aut*; v. g. : Amicitia pares aut invenit aut facit. — Ad veritatem ejus *propositionis* duo requiruntur et sufficiunt : 1° membra illius sibi invicem *opponi*; 2° *divisionem esse adæquatam*, ita ut inter ejus membra non sit *medium*, ac proinde non possint esse simul falsa. Defectu secundæ conditionis peccat ista *propositio* : Aut legit Tullius, aut sermonem habet ad populum romanum.

217. *De propositione modali.* — Quòd si declaretur *modus specialis* quo attributum *subjecto* convenit vel repugnat, occurrunt *propositiones modales.*

Porro *quatuor* distinguere est *propositiones reipsa modales*, propterea quòd *quatuor* sunt *speciales modi* quibus *prædicatum subjecto* referri potest, scilicet *necessarium et contingens, possibile et impossibile.*

Etenim vel attributum *subjecto actu* inest, vel non; *si prius*, vel *necessariò*, vel *contingenter*; *si posterius*, vel ei inesse potest, vel nequit. — En exempla istiusmodi *propositionum* : Pro *necessariâ* : *Necesse* est hominem ratione pollere. Pro *contingenti* : *Contingens* est Paulum esse philosophum. Pro *possibili* : *Possibile* est Ludovicum eruditum evadere. Pro *impossibili* : *Impossibile* est Deum esse crudelem.

Diximus nonnisi quatuor propositiones reipsa modales distingui posse; quia plures sunt primâ quidem fronte, non autem *revera modales*, nimirum quæcumque *adverbium* quoddam includunt : v. g. : Cervus *velociter* currit; Tullius *facundè* eloquitur. Nam *adverbium* afficit solum *prædicatum*, cujus est pars aliqua, et minimè indicat quomodo *prædicatum* conveniat *subjecto*, ut vult *propositio modalis.*

Patet ex dictis *propositionem modalem* resolvi posse in *duas propositiones*; v. g. in hoc exemplo : *necessarium* est hominem ratione pollere, duo asseruntur, scilicet, 1° hominem ratione pollere; 2° *necessariò* ratione pollere. — Quamobrem etsi veritas aut falsitas illius *potissimum* pendeat a veritate aut falsitate *modi*, tamen quum duabus *reipsa propositionibus* constet, vera esse nequit, nisi utraque sit vera : v. g. ut vera sit hæc *propositio* : contingit Paulum esse eruditum, duo requiruntur : 1 Paulum eruditum esse (*dictum*), et 2 *contingenter* eruditum esse (*modus*).

218. *De propositione verâ et falsâ.* — Præclarè D. Thomas : « Cùm enunciatum aliquid esse vel non esse, secundum congruentiam rei, est oratio vera; alioquin est oratio falsa. « Sic igitur quatuor modis potest variari enunciatum : Uno modo, quia id quod est in re, enunciatum ita esse sicut in re est; quod pertinet ad *affirmationem veram*. Puta, cùm Socrates currit, dicimus Socratem currere. — Alio modo, cùm enunciatum aliquid non esse, cùm non est : quod pertinet ad *negationem veram*, ut cùm dicitur : Æthiops non est albus. — Tertio modo, cùm enunciatum aliquid esse quod in re non est; quod pertinet ad *affirmationem falsam*; ut cùm dicitur : corvus est albus. — Quarto modo, cùm enunciatum aliquid non esse quod in re est; quod pertinet ad *negationem falsam*, ut cùm dicitur : nix non est alba. » (In lib. I *Periherm.*, lect. 10).

§ IV. — De proprietatibus relativis propositionis indicativæ.

219. Propositionum proprietates relativæ ex ipsâ inter varias *propositiones comparatione* oriuntur. Jam *propositio*

aliqua triplici modo cum aliâ comparari potest: vel enim ei *opponitur*, vel *æquivalet*, vel in eam *convertitur*. Hinc de propositionum oppositione, æquipollentiâ et conversione disserendum est.

I. De oppositione propositionum.

220. *Ejus notio.* Oppositio, si generatim spectetur, non immeritò cum Aristotele definiri potest: *Afirmatio et negatio ejusdem de eodem*; v. g. Socrates philosophatur, Socrates non philosophatur. Unde, ut duæ sibi opponantur propositiones, tria requiruntur: 1° utraque debet habere idem subjectum, 2° idem attributum, et 3° alia debet esse affirmans, alia negans.

221. *Ejus species.* Ratione oppositionis, propositiones dividi possunt in *contradictorias*, *contrarias*, et *subcontrarias*.

1° *Contradictoriæ* sunt duæ propositiones *quarum altera negat id quod strictè requiritur et sufficit ad alteram evertendam, ita ut inter utraque nullum sit medium*: v. g.: Omnis homo est justus, aliquis homo non est justus; vel: Paulus est pius, Paulus non est pius.

2° *Contrariæ* sunt duæ propositiones *quæ in extremis oppositis consistunt, et quarum altera plus negat quàm requiritur ad aliam impugnandam*; v. g.: Omnis homo est justus, nullus homo est justus; vel Paulus est pius, Paulus est impius.

3° *Subcontrariæ* sunt duæ propositiones *quarum utraque particularis est, et altera affirmat, altera negat*: v. g.: Aliquis homo est sapiens, aliquis homo non est sapiens. Verùm istiusmodi propositiones verbo quidem opponuntur, cum affirmet altera, altera autem neget; at non reipsa sibi oppositæ habendæ sunt. Subjectum quippe, quum *indeterminatè* sumatur, non est idem in utrâque propositione; quod tamen ad oppositionem propriè dictam requiri diximus.

4° Accedunt propositiones *subalternæ*, duæ scilicet propositiones vel ambæ *affirmantes*, vel ambæ *negantes*, *quarum una est universalis, et altera particularis*: v. g.: Omne bonum est appetendum, aliquod bonum est appetendum; vel:

Nullus homo est sapiens, aliquis homo non est sapiens. Porrò subalternæ appellantur, propterea quòd una earum, scilicet propositio particularis, propositioni universali, veluti inferior superiori subjicitur; unde universalis dicitur *subalternans*, particularis autem *subalternata*. — At verò deficiunt a propriè dictâ oppositione; siquidem qualitate conveniunt, nedum pugnent; nam vel ambæ sunt affirmativæ, vel ambæ negativæ.

222. *Ejus utilitas.* Oppositionis propositionum frequens est *usus* sive in scientiis generatim, sive maximè in Theologia sacrâ.

In scientiis quippe tum philosophicis, tum mathematicis, sæpenumerò aliqua thesis adstruitur ex falsitate contradictoriæ, vel ex veritate unius, alterius falsitas evincitur.

Quod attinet ad Theologiam sacram, crebro aliqua propositio simpliciter reprobatur velut hæretica, impia, falsa, et eo ipso ipsius contradictoria admitti debet velut de fide, pia, vera; et vicissim.

At eâ in re maximè præstat propositiones contradictorias a contrariis discernere, et cognoscere regulas quæ spectant ad veritatem aut falsitatem singularum propositionum oppositarum.

1° Regulæ circa propositiones contrarias.

223. REGULA 1^a: *Propositiones contrariæ non possunt esse simul veræ.* — Cùm enim sint prorsus oppositæ, si ambæ forent veræ, idem esset simul et non esset.

224. REGULA 2^a: *Possunt esse simul falsæ.* — Nam inter eas datur aliquod *medium* quod potest esse verum, ex quo scilicet sequatur utriusque propositionis contrariæ falsitas; idque accidit in materiâ *contingenti*: v. g., hæ duæ contrariæ sunt falsæ: Omnis homo est prudens, nullus homo est prudens, quia vera est media illa inter utramque propositio: Aliquis homo est prudens. — Ergo ex falsitate unius, non sequitur veritas alterius, sed ex veritate unius, sequitur alterius falsitas.